





C. 5. num. 5.

DE
IVRE
REFORMANDI
EX
INSTRUMENTO PACIS WESTPH.
RELIQVO

1734

11

P. 355

ALMÆ SVÆ EBERHARDINO CAROLINÆ
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO
SERENISSIMO ET POTENTISSIMO
DVCE WVRTEMBERGICO
CAROLO

INCLVTI ICTORVM ORDINIS CONSENSV
PRAESIDE
GODOFREDO DAN. HOFFMANN

PHILOSOPHIAE ET IVRIS VTRIVSQUE DOCTORE, SACRI
CAESAREI PALATII COMITE, SERENISSIMI WVRTEMBERGIAE
DVCIS CONSILIARIO, IVRIS PVBLICI ET FEVDALIS
PROFESSORE PVBLICO ORDINARIO, SVPREMI DICASTERII
ET COLLEGII ILLVSTRIS ASSESSORE
PRO GRADV I. V. DOCTORIS
DIE XXVII. MARTII MDCCLXXIII
DISPVTABIT
AVCTOR
IOANNES GEORGIVS KERNER
LVDOVICOPOLITANVS

TVBINGÆ TYPIS FVESIANIS.



qui
in-
lo-
men
am
ru-
pui
libi
ens,
ent
do.
bo-
illis
hic
sua,
sibi
ato-
qua
imi-
nis,
no-
Ein-
Hu-
niu-
ntis,
infi-
ideo
no-
per-
olim
ione
rnes
i PA-
XIII.



STORNAWORT

STORNAWORT

STORNAWORT

STORNAWORT

STORNAWORT

STORNAWORT

STORNAWORT

STORNAWORT

STORNAWORT

STORNAWORT

STORNAWORT

STORNAWORT

STORNAWORT


STORNAWORT

STORNAWORT

STORNAWORT

STORNAWORT





CONSPECTVS.

Instituti ratio §. 1.

A) De iure reformandi ex iuris naturæ religionis atque imperii principis determinato (Sect. I.)

De iure circa sacra majestatico, eius fontibus atque vi (§. 2.) quomodo illud differat a iure reformandi, cuius fontes, vis atque potestas simul recensentur (§. 3.)

B) De origine iuris reformandi statuum imperii (Sect. II.)

Reformatores nostri sibi ad exemplum Christi atque apostolorum non nisi ad consensum subditorum adstrictum ius reformandi vindicarunt (§. 4.), quod aliquot exemplis comprobatur (§. 5.); ius reformandi statuum in I. P. O. cum iure territorii conjunctum non autem ex eo derivatum est, potius illud quoad nexum territorialem cum subditis ex usitata praxi, quoad nexum imperii autem, ex legibus publicis deducendum venit. (§. 6.)

C) De restrictionibus, quas ius reformandi statuum imperii ex I. P. O. accepit. (Sect. III.)

Ius reformandi, statibus imperii Art. V. §. 30. I. P. O. attributum, quam maxime opus habuit restrictionibus (§. 7.). Ante pacem religiosam Germania lege, quæ ius reformandi quibusdam religionibus exclusive attribuisset, caruit; in ipsa autem pace religiosa non nisi evangelicæ atque catholicæ religioni hoc ius concessum esse invenimus (§. 8.); per pacem westphalicam vero quoque reformati in illius consortium sunt recepti. (§. 9.)

A

Por-

Porro ius reformandi adstrictum est ad statum religionis de
ao. 1624; quomodo id factum fit recensetur (§. 10.)

Hic status anni normalis autem regulam non constituit a)
in territoriis, quæ ao. 1624. oppignorata fuerunt, postea au-
tem facta reluitione ad proprietarium redierunt, b) ut & in iis
territoriis, ubi ius territorii vel ante vel post terminum anni
1624. controversum fuit, donec super possessorio & petitorio
cognoscatur & decidatur. (§. 11.)

Quæ sit norma atque regula iuris reformandi inter prote-
stantes, quatenus duas partes constituunt? (§. 12.)

D) Quinam hodiernum supersint iuris reformandi statuum imperii
effectus? (Sect. IV.)

a) circa novam in territorio introducendam religionem.

Solus imperans religionis exercitium simultaneum nec pu-
blicum nec privatum contra statum anni 1624. introducere
potest, nisi id fiat facta reluitione in territorio, quod ao. 1624.
oppignoratum fuit (§. 13. & 14.). Imo ne quidem protestan-
tibus inter se, quatenus duas partes constituunt, simultaneum
introducere fas est. (§. 15.) Consentientibus autem libere sta-
tibus provincialibus atque subditis omnibus, principes imperii
non solum simultaneum invehere, sed & alii atque diversæ ab
ea, quæ ao. 1624. obtinuit, religioni exclusivum exercitium
concedere queunt. (§. 16.)

b) circa exclusionem religionum

α) vel in Germania non receptarum (§. 17.)

β) vel in Germania receptarum quidem, quarum tamen exer-
citium, nec publicum, nec privatum, ao. 1624. in territo-
rio viguit. (§. 18.)

Epilogus. §. 19.

RA-



RATIO INSTITVTI.



§. I.

Quinam hodiernum iuris reformandi statuum imperii Romano-Germanici supersint effectus? inter Ictos disputatur. Alii hocce ius reformandi adhuc illimitatum esse, nec nisi una alterave exceptione per pacem Westphalicam restringi existimant. *a)* Alii illud exceptionibus atque restrictionibus, quas ex Instr. pac. Osnabr. accepit, suspensum potius quam limitatum esse credunt. *b)* Rursus alii, media incedentes via, illud, quamvis in I. P. O. iustis suis limitibus circum-

a) Huc refer omnes fere iuris publici ecclesiastici scriptores catholicos, quippe qui hac regula contra protestantes utuntur.

b) vid. LINCKER conf. 58. nr. 13.

scriptum fit, sæpius adhuc actu exerceri posse dicunt. c) Inde, cum de specimine inaugurali cogitarem, animum induxi, ex indole & natura iuris reformandi, legibus imperii atque actis publicis, quantum fieri poterit, vel potius, ut rectius dicam, quantum nostræ suffecturæ sint vires, eruere:

ius reformandi statibus imperii Romano-Germanici Art. V. §. 30. I. P. O. attributum

- 1) in quantum per pacem Westphalicam sit restrictum atque limitatum?
- 2) & quibusnam in casibus hodie ordines imperii huius iuris exercitio adhuc uti possint?

SECT. I.

DE

IVRE REFORMANDI EX PRINCIPIIS IVRIS NATVRÆ, RELIGIONIS ATQVE IMPERII DETERMINATO.

§. 2.

Antea autem quam ad ipsam materiæ nobis propositæ pertractationem progredimur, brevi sermone perstringamus necesse est, ius, abusus atque vitia, quæ circa fidei do-

c) vid. BOEHMERI jus eccles. prot. L. 1. T. 1. §. 50. seqq. ZECH in meditt. de iure reformandi. Part. II. per tot.

doctrinas, actusque inde provenientes in ecclesia sese ex-
ferunt, abolendi, seu *ius reformandi*,

cuinam ex principiis iuris naturæ sit tribuendum?

Si ad originem usque civitatis, ad originem usque eccle-
siæ revertimur, duo se nobis offerunt iura, ius circa sacra
maiestaticum & ius reformandi, quæ, quamvis quam ma-
ximè a se invicem differant, sæpissime tamen a iuris publi-
ci doctoribus sunt permutata, unde maxima orta est rerum
perturbatio atque confusio. Paucis igitur videamus, quam
diversi eorum sint fines, quam diversa remedia, & quæ ha-
benda sit fides opinioni, quod *omne* ius circa sacra ex civili
maiestate derivari possit? cui & nostrates sæpissime hacten-
us subscripserunt.

Fac itaque, multitudinem hominum, ad huius vitæ
tranquillitatem commoditatemque eo melius consequendam,
nunc coalescere, & constituere civile imperium, id est,
*concedere summo imperanti ius, dirigendi actiones suas ad salutem
publicam*; nemo quidem inficias est iturus, competere huic
summo imperanti noviter constituto ius, prospiciendi, ne
respublica e religione, vel recipienda, vel iam recepta, de-
trimenti quid capiat, ne de rebus fidei controversiæ ipsas
turbas civiles excitent *d)*, ne nimia sit feriarum multitu-
do *e)*, ne nimia clericorum divitiæ; & cum nulla res
rem-

A 3

d) BOEHMER in jure eccles. protest. L. 1. T. 1. §. 53.

e) Summo itaque jure senatus Romanus olim Bacchanalia, quibus
mentes, velut furialibus stimulis ad omne scelus & ad omnem libi-
dinem agebantur, abolere decrevit. LIVIUS lib. 39.

republicam in maius adducat periculum, quam eae doctrinae, quibus omnis ex animis hominum evellitur religio, dum illis imbutus civis sub spe civiles poenas eludendi quodcumque committet flagitium, imperans sane ius habet, atheismum, & alias eiusdem generis sectas, tanquam reipublicae perniciosissimas, tollendi, abolendi. Siquidem enim ecclesia, seu alia societas imperantis potestate omnimoda exemptione fruere, status in statu formaretur, & aliis civitatis membris alium sibi scopum praefigentibus, vis, robur, salus reipublicae enervaretur, solveretur. Dicitante igitur recta ratione hoc *ius circa sacra*, quod in specie *maiestaticum* dicitur, cuicumque imperanti, nullo alio, nisi *civilis imperii titulo*, iuste exercendum credimus.

§. 3.

Tantum vero adest, ut hoc ius circa sacra maiestaticum ambitum universi iuris circa sacra exhauriat, ut potius vix illius partem absolvat. Quam plurima supersunt in religione, quorum publica doctrina minime civium *qua civium*, sed *qua hominum*, vel salutem, vel perniciem respicit, de quibus homines pacisci, de quibus pro lubitu disponere nequeunt, & in quibus ex alterius arbitrio dependere ipsa Dei lege prohibentur. Quilibet est obstrictus, ut id credat verum esse, quod oculis suis perspicit. ut, tum ex ratione, tum ex revelatione, eos sibi de Deo formet conceptus, quos ipse putat optimos atque veros, ut eum inde deducat Deum colendi modum, quem Deo gratissimum, quem purissimum esse agnoscit.

Non

Non autem est, quod religionem omnis societatis plane impatientem esse putemus; nihil enim obstat, quo minus duo pluresve, fidei suæ identitate perspecta, de eadem religione colenda, conservanda, promovenda, societatem ineant, & hoc modo constituent ecclesiam externam; nihil obstat, quo minus uni ex societate, vel imperanti civili, *f)* vel alii, committatur cura ordinis conservandi, certum tempus cultui publico habendo determinandi, membra ecclesiæ ratione atque argumentis ad pietatem excitandi, ab impietate revocandi; nihil denique obstat, quo minus ei committatur ius reformandi *g)*. Verum enim verò bene notes velim, ne huic quidem imperanti alia ordinare licere, quam quæ salva cuiusvis conscientia fieri possunt, ne hunc quidem subditum, perspecta, ipsius saltem iudicio, saniori doctrina, ab unitate fidei descendentem ad

f) Non possumus non heic annotare, semper aliquid periculosi inesse, si ecclesia hanc curam imperanti civili alienæ religioni addicto committeret. Siquidem enim cuique principium, *aliorum commoda promove*, natura quasi inlitum est, & unus quisque eam, quam sequitur religionem, veram & ad salutem æternam consequendam maxime idoneam esse credit, nunquam non erit verendum, ne exercitium iurium collegialium, ejusmodi imperanti commissum, tandem in conscientiarum tyrannidem degeneret; qua nullam maiorem esse pestem rempublicam administrantibus Maximilianus II. dicere solitus est. A. P. W. T. II. p. 732

g) vid. 10. CHRIST. MAIER, popularis noster suavissimus in dissert. inaug. de iure reformandi Statuum imperii Romano - Germanici p. 38. sq. ubi rem latius expositam invenies.

do-
igio,
endi
abet,
rei-
dem
mni-
tur,
bus,
Di-
spe-
alio,

esta-
po-
sunt
qua
icit,
nere
ipia
cre-
ra-
otus,
edu-
uem

Non



ad revertendum cogere posse; ex iis enim, quæ hæcenus annotavimus, non difficile erit probatu, ius reformandi, quam maxime quoque absolutum, non nisi in volentes, non nisi cum consensu membrorum ecclesiæ seu subditorum, exerceri posse.

In statu naturali certe nemini competit ius, vi a me extorquendi, ut amplectar religionem ipsius quidem iudicio veram, conscientiæ autem meæ adversam; siquidem enim hoc fieret, ab altero in officio meo impedirer, quod, quam valde legibus naturalibus repugnet, quis est, qui ignoret? Nec id per introductum statum civilem fuit immutatum; cum enim quilibet homo, in quocunque statu vivat, quodcunque degat vitæ genus, sit obligatus ad ea facienda, quæ iure naturæ absolute sunt præcepta, cum in veritate, in fide, actibusque inde provenientibus ab alterius arbitrio dependere contradictionem involvat; nullum certe unquam in principem seu alium transferri potest ius, subditis, quamcunque vellet, imperandi religionem *h)*. Facile deinde omnium oculos incurrit, quam varia atque mutabilis ex eiusmodi potestate imperanti concessa ipsa
eva-

h) Iam primi LUTHERI doctrinis adherentes declararunt: iniquissimum esse & liberis hominibus intolerabile, vi metuque ipsos adigere velle, ut, quæ vera agnoscunt, abnuant, quæ falsa, asserant, præcipue circa cultum numinis, qui nisi ex liquida veritatis persuasione procedat, inanis sit. PFENDORF de rebus Succ. L. 1. §. 7.

evaderet religio *i*), quam facilis foret delapsus in istam
 conscientiae tyrannidem, homine adeo indignam. Sed de-
 mus aliquantisper, religionem subditorum ab imperantis
 arbitrio dependere, deimus quoque, illum nobis imperare
 religionem, quæ, quam nobis de Deo formavimus, opi-
 nioni

i) Digna sunt, quæ heic, non tamen sine grano salis, notentur MARMONTE-
 LI verba: *Il est dans l'ordre de la bonté, dit l'Empereur, de vouloir
 que l'homme s'éclaircisse, & que la vérité triomphe. Elle triomphera,
 dit Belisaire; mais vos armes ne seront pas les siennes. Ne voyez
 vous pas, qu'en donnant à la vérité le droit du glaive, vous le donnez
 à l'erreur? que pour l'exercer, il suffira d'avoir l'autorité en
 main? & que la persécution changera d'étendarts & de victimes
 au gré de l'opinion du plus fort? Ainsi Anastase a persécuté ceux
 que Justinien protège; & les enfans de ceux qu'on égorgoit alors,
 égorgent à leur tour la postérité de leurs persécuteurs. Voilà
 deux Princes, qui ont cru plaire à Dieu, en faisant massacrer les
 hommes! he bien le quel de deux est, sur, que le sang qu'il a
 fait couler est agréable à l'Eternel? Dans les espaces immenses
 de l'erreur, la vérité n'est qu'un point. Qui l'a saisi ce point
 unique? Chacun prétend que c'est lui; mais sur quelle preuve? Et
 l'évidence même le met-elle en droit, d'exiger le fer à la main,
 qu'un autre en soit persuadé? La persuasion vient du ciel ou des
 hommes. Si elle vient du ciel, elle a par elle-même un ascendant
 victorieux; si elle vient des hommes, elle n'a que les droits de la
 raison sur la raison.*

Sic & Oppenheimium, urbem Palatinis oppignaratam, intra
 seculum decies sacra mutare coactam fuisse refert WOLFGANG
 GEMMINGIUS equestris imperii ordinis legatus apud PFANNE
 RUM in Hist. P. W. L. V. §. 42.

B



nioni plane esset adverſa, nostro officio contraria; annon tuum erit, ne principis mandato aurem præbeas, etiamſi iuramento voluntatem imperantis normam in religione reputandi te obſtrinxiffes? *k)*

SECT. II.
DE
ORIGINE IVRIS REFORMANDI STATVVM
IMPERII.

§. 4.

Vidimus hætenus, quid fit ius reformandi, ex ſolis iuris naturæ, religionis atque imperii principiis determinatum, nulla adhuc hominum extensione ſeu reſtrictione deformatum? Reſtat adhuc, ut percontemur:

quo iure ius reformandi ſtatibus imperii Romano-Germanici competat?

Ius reformandi in Art. V. §. 30. I. P. O. denotat ius, aliam in territorio introducendi religionis formulam, quam hætenus ſubditi amplexi fuerunt, & per conſequens omnes alias formulas cum principis religione non conformes excludendi *l)*. Cave autem credas, ordines imperii adeo il-

k) GERHARDVS NOODT de religione ab imperio iure gentium libera; per totum.

l) PFANNER in historia pacis Weſtphalicæ. L. V. §. 42.

limitatum atque absolutum reformandi ius sibi vindicasse, ut ipsis fas esset, pro lubitu in conscientiam atque religionem subditorum sævire & modo hoc, modo illud vi atque armis introducere religionis exercitium. Siquidem enim religio nonnisi ab imperantis arbitrio dependeret, quid quæso ipsi divini inesset? annon illa summo iure merum inventum politicum ad coercendos homines existimaretur? Potius ne absolutissimo cuique imperantium vel principi extra omnem imperii nexum considerato normam iuris reformandi, quam leges naturæ seu rationis constituunt, transgredi licet. Sequitur inde ordinibus imperii ius, aliam quam quæ hactenus in territorio obtinuit, religionem introducendi, nisi consentientibus subditis non competere, quippe quod legibus natura nobis innatis e diametro adversari supra demonstravimus. Hos iuris reformandi limites esse genuinos, nos quoque docet Christi atque apostolorum exemplum; hi enim religionem christianam non ense, ferro, rota, sed animi persuasione atque convictione propagandam curarunt. Quantum & protestantes a violenta religionis propagatione abhorreant, reformationis historia satis loquitur.

In primitiva ecclesia omnibus membris coniunctim fuit libertas, suam de Deo opinionem, & actus religiosos in eius honorem suscipiendos, cognitione sua haud intermisso studio forsitan magis amplificata & corroborata, mutandi *m*), atque ius reformandi per modum directionis potius

B 2

m) Act. XV. v. 1. seqq. ubi non excluderetur cæcus, dum de circumcisionis necessitate disputabatur.

tius quam imperii ab apostolis exercitum est. Vbi vero excogitato Christi vicariatu palliatus pontificum imperandi pruritus in hierarchiam denique prorupit, omnia fere iura circa sacra tam maiestatica quam collegialia ad se rapuit clerus, cuius eo usque processit audacia, ut & religionem facie detecta inspicere vitio verteret. De iure reformandi principibus nostris competente ne per somnium quidem cogitatum est *n*), sed omnem religionis mutationem ex formandis in concilio decretis instituendam esse existimabatur *o*). Luce autem evangelii erumpente status nostri iam liberiorem aerem spirarunt, & docente Luthero, *ipsis fas esse ecclesiae malis medicinam dispicere, ac sacerdotum vitia corrigere p*), communis protestantium fuit persuasio, quod penes principem sit ecclesiae reformatio *q*). Inde ad exemplum primitivae ecclesiae, Christi & apostolorum doctrinis superstructae, quam ipsam reduci voluerunt, cum

n) GONZALEZ TELLEZ ad c. 3. nr. 14. de consuet.

o) Apud Sleidanum L. VI. ipsum imperii regimen sequentem sententiam enunciasse invenimus: *neque caesaris, neque ordinum esse, veterem & a maioribus acceptam religionem immutare, nisi vel per generale vel totius nationis concilium.*

p) PVFENDORF de rebus Suec. L. I. §. 5.

q) HORTLEDER L. I. c. 2. sub titulo: *Ein christlicher Rathschlag und Unterrichtung welchergestalt sich alle christliche Personen von Obern und Unterthanen halten sollen &c.*

consensu totius populi sive ecclesiae arduum reformationis opus:
aggressi sunt imperii ordines r).

§. 5-

r) Quæstio: ob vermög des Religionsfrieden — die Macht Kirchen und Schullen zu reformiren, an der hohen Landesobrigkeit hange — A. P. W. T. II. p. 755. unde sequentia apprime ad rem faciunt: Ist dieses in sonderbare Consideration zu ziehen und dißfalls ein grosser Unterschied zu machen, ob die meisten oder vornehmsten Unterthanen, als da seynd die Land-Stände, sich freywillig zu des Landesfürsten Religion bekennen, und in der vorhabenden Einführung derselben mit ihm untretten, und vor einen Mann stehen, oder aber, ob dieselbe alle fest auf ihrer wiedrigen und bis dahero geübten Religion bestehen thun. In ienem Fall hat der landesfürstlichen Obrigkeit, die Reformation für die Hand zu nehmen, sintemahl er sodann, gleichwie in andern Fällen also auch allhier mit der Landstände vorbewußt und Einwilligung, rechtmüssiger und nachdrücklicherweise verführet, und dahero ein solchergestalt gemachtes Conclusum pro constitutione provinciali nicht unbillig gehalten wird, nachdem die andern Unterthanen sich zu achten haben, wofern sie anders im Lande länger verbleiben wollen: welchergestalt bald Anfangs bey des Herrn Lutheri Zeiten die Reformationen vor die Hand genommen worden, indeme nicht allein ganze Städte und Gemeinden das heilige Evangelium, wie es der theure Mann durch Gottes Gnade an das helle Tageslicht gebracht, mit willigen Herzen angenommen, sondern auch an vielen Orten die Clerisey guten theils selber abgefallen, und sich zu solcher allein seligmachenden Religion, mit Verlassung ihrer Orden bekennet, wie dasselbige aus den Historien genugsam beandt.

B 3

Si quis huius rei exempla nosse anhelat, illius cupidini ex ipsius patriæ nostræ, ducatus sc. Württembergici, historia prospici potest. Non solum enim VLRICVS, gloriosissimus princeps, sed & status provinciales atque subditi desiderio verbum divinum e solis Christi atque apostolorum doctrinis desumptum, & ab omnibus pontificis ac cleri figmentis & imposturis expurgatum audiendi flagrarunt, quod & ipsos hinc inde declarasse legimus s). Prostat quoque exemplum Casimiri Brandenburgici, quem de reforman-

- s) *Cel. SATTLERI Geschichte des Herzogthums Württemberg unter der Regierung der Herzogen. T. II. p. 140. unde sequentem statuum Württembergicorum provincialium declarationem de ao. 1525. annoto: denn dieweil das Wort Gottes der Seelen Speis ist, und durch dieselbe die Erkenntnuß des Glaubens und die Seligkeit erlangt werden muß, worauf unsere zeitliche und ewige Wohlfarth beruhet, so bäten sie den Unterthanen zu verhelffen, damit das Gottes Wort dem Volk fürterhin durch fromme, ehrbare, gottesfürchtige und verständige Prediger, rein, lauter und nach dem Geist, on allen menschlichen Nutz, Fürwitz und eigen Bedenken gelehrt und verkündt werde, doch also, daß solches allein auf den Glauben und das Vertrauen zu Gott, und darnach auf Liebe, Einigkeit und Gehorsam gegen alle Menschen gezogen, und daß die Freyheit des Geistes nicht zu der Freyheit des Fleisches mißbraucht und angewendet werde. Et l. c. p. 200: die Regierung — schickte d. 14. Dec. 1530. ihren Mitregenten Bastian Schillingen an den König Ferdinand, mit der Anzeige — die meiste Unterthanen hangen Herzog Ulrichen und der Evangelischen Lehre heimlich an.*

mando publico religionis exercitio in conventu provinciali egisse, refert HORTLEDER ^{t)}. Hæc sunt, quæ tempore reformationis obtinere principia, indoli iuris naturæ ad unguem usque conformia.

§. 6.

Vbi vero deinde, quod in pace religiosa 1555. condita adhuc in dubio relicta, per I. P. O. accuratius determinatum est; quod scilicet ius reformandi superioritati territoriali sit annexum ^{u)}, catholici ex hoc cum iure territorii connexo iure reformandi statuum nostrorum facultatem, in subditorum conscientias atque religionem grassandi derivandam esse putarunt. Verum enim vero cum eiusmodi potestas non solum iuri naturæ absolute præceptivo, ac inde mutari nescio contrariaretur (Sect. I. p. 4.), sed & subditorum conscientiae libertas, quam ipsa summorum paciscentium sanctio salvam voluit ^{x)}, ea offenderetur, imo extirparetur; neminem hodie fore spero, qui huic ex cæco affectuum impetu & sinistro religionis zelo genitæ fen-

^{t)} L. I. c. 3. p. 37.

^{u)} I. P. O. Art. V. §. 30. Quantum deinde ad comites, barones, nobiles, vasallos, civitates, fundationes, monasteria, commendas, communitates & subditos statibus imperii immediatis sive ecclesiasticis sive secularibus subiectos pertinet: cum eisdem statibus immediatis cum iure territorii & superioritatis ex communi per totum imperium hactenus usitata praxi, etiam ius reformandi exercitium religionis competat &c. &c.

^{x)} I. P. O. Art. VII. §. I.

sententiae subscribat. Præterea rem acu tetigisse non videntur, qui in §. 30. Art. V. I. P. O. superioritatem territorialem fontem iuris reformandi dictam esse sibi persuadent, potius protestantes hanc potestatem cum iure territorii coniungi tantum, non ex illo derivari voluerunt, quo ratione bonorum ecclesiasticorum mediatorum, ab ipsis, ne & in posterum monachorum segnitiam alerent, ad genuinos usus revocatorum, adversus pontificios eo maiori cum efficacia sese defenderent y); Ipsi quoque §. 30. Art. V. verba apprime ad sententiam nostram corroborandam faciunt, inde huc quam maxime referenda.

„cum eiusmodi statibus immediatis cum iure territorii
 „& superioritatis ex communi per totum imperium ha-
 „tenus usitata praxi etiam ius reformandi exercitium
 „religionis competat &c.

Sequitur itaque, ius reformandi ordinum imperii quoad nexum territorialem cum subditis ex usitata praxi, quoad nexum imperii autem ex pacto Passiaviensi, pace religionis z) & I. P. O. esse derivandum.

SECT.

y) A. P. W. T. II. p. 753. Endlich ist auch — diese assertio affirmativa (daß nemlich die Macht, Kirchen und Schulen zu reformiren, an der hohen Landesobrigkeit hange) um so viel desto mehr zu behaupten, weil sonst der Punkt von denen sieder dem Religionsfrieden eingezogenen Mediat - Stifter, keineswegs wider die Papisten defendirt werden könnte, dessen decisio blos und allein auf dieser Assertion besteht.

z) I. und damit solcher Friede &c. &c. §. damit auch obberührte &c. &c.

SECT. III.

DE

IUS, QVAS IVS REFORMANDI STATVVM
IMPERII EX I. P. O. ACCEPIT,
RESTRICTIONIBVS.

§. 7.

Valde autem summis pacis Westphalicæ pacifcentibus perspectum fuit, ad exiguum tempus nunc in Germania restaurandam tranquillitatem duraturam esse, si unicuique religioni usus iuris reformandi concederetur, ac vix unquam pacem stabiliri, turbisque futuris pessulum obdi posse, nisi certus atque cum summa tantum circumspectione mutandus religionis status determinaretur, unde ius reformandi in posterum omnem suam mensuram capere deberet. Inde quibusnam religionibus in imperio nostro publicum religionis exercitium atque ius reformandi in posterum competeret? in nova constituenda imperii lege ipsis præcipue definiendum videbatur.

§. 8.

Ante conditam ao. 1555. pacem religionis patria nostra eiusmodi lege, quæ hæc iura quibusdam religionibus exclusive tribuisset, penitus caruit. Ecclesiæ Romano-Catholicæ tum temporis monopolium religionis, ut ita dicam, concessum fuisse quis est, qui probet? Observantia, praxis, præscriptio, quas ad probandum exclusivum religionis suæ

C

pu-



publicum exercitium protulerunt pontificii, sub sanæ rationis examen revocatae, nil nisi glaucoma dici merentur, quod protestantibus obicere studuerunt. Præterea hierarchia pontificia, qua, tanquam somno oppressa, tum temporis universa iacebat Europa, de habitu ecclesiæ ad rempublicam ne cogitare quidem permisit. Vbi autem vera Christi atque apostolorum doctrinis superstructa religio ex reformatione tantum recepit virium, ut cancellos a pontifice positos transilire auderet, quænam religiones in Germania in posterum iure publico sint validæ atque orthodoxæ? oriebatur quæstio, cuius resolutionem triplici modo possibilem heic habes:

1. Statibus imperii protestantibus aut ad ecclesiam Romano-Catholicam fuit revertendum atque hoc modo unitas religionis Germanicæ restituenda;
2. aut vetus cum imperio nexus plane dirimendus;
3. aut denique eum in modum cum pontificiis transigendum, ut unitas reipublicæ inter dissentientes in religione status schismate non obstante conservaretur.

Imperator quippe statuum protestantium a civitate Germanica avulsionem extimescens *a*), omnem movit lapidem, ut primus modus obtineret atque dissentientes ad veterem ecclesiam reverterentur, unde tot convocabantur conven-

a) Quantopere hic terror invaluerit, multa recessuum imperii testantur loca, quæ collecta invenies in allegata MEIERI dissert. inaug. p. 49.

ventus, tot colloquia, quorum vero labores irritos reddidit dissentientium partium in defendendis suis opinionibus pertinacia *b*). Ne autem ad secundum progredierentur modum, coniunctis viribus præcavere studuerunt cæsar atque pontifex; hic, quod eo omni spe amicabilis compositionis ecclesiæ, qua hæctenus suam dominandi libidinem adhuc aluit, orbatus fuisset; ille, quod eo iacturam partis potestatis suæ fecisset. Vnicus igitur tertius superfuit modus, quo & denique turbæ, ex religionis dissidio ortæ, sopitæ sunt; status scilicet imperii belligerantes armata adhuc manu Passaviæ ac deinde Augustæ Vindelicorum pacem pepigerunt, ac non nisi duas religiones, catholicam atque evangelicam in Germania in posterum valituras esse sanxerunt *c*). Inde postea temporis catholici Electoris Palatini, FRIDERICI III. instituto, qui schismate inter A. C. addictos orto, novam & a duabus hisce receptis diversam religionem in territorio suo introduxit, sese opposuerunt, eum ad Au-

b) HORTLEDER L. I. c. 37. p. 315. *Wir haben doch hievor diesen iämmerlichen Umgang vom General zum National, vom National zum Reichstag, und dann vom Reichstag wiederum zum General, vom General zum National, vom National zum Reichstag in zwanzig Jahren siebenmal gangen, — wollen wir nun für und für dem Schwindelgeist statt geben und also Umgänger seyn? &c.*

c) R. I. de ao. 1555. §. 15. 17. *Doch sollen alle andere, so obgemeldten beiden Religionen nicht anhängig, in diesem Frieden nicht gemeint, sondern gänzlich ausgeschlossen seyn.*

gustanæ confessioni subscribendum adegerunt atque §. 17. pacis religiosæ denuo recessui imperii de ao. 1566. inferendam curaverunt d).

§. 9.

Vbi vero post horrendam illam ac diuturnam funestissimi belli tempestatem tandem de reducendo religionis otio in instituto pacificationis Westphalicæ conventu agitata fuerunt consilia, etiam reformati, qui hætenus cum Lutheranis ad repellendas catholicorum iniurias coniuncta habuere arma viresque, in consortium liberi religionis exercitii atque omnium iurium circa sacra recipi petierunt. Huic reformatorum desiderio statim annuerunt cæsarei e), reluctantibus quidem iis pontificiis, quorum pertinax religionis odium *Calvinismum hæresim specie diversam, multoque deterrivorem Lutheranismò reputabat f)*.

A. C. addicti reformatorum petitioni ab initio non obsecuturi videbantur g), dum hætenus usurpatam eorum con-

d) R. I. de ao. 1566. §. 5.

e) Iam in responsione cæsareorum ad propositionem Suevicam sequentia inuita reformatorum occurrunt: *Poterunt vero & ii status, qui se reformatos vocant, illius & huius pacis beneficio, si ipsi velint, uti, frui.* A. P. W. T. III. p. 68.

f) Iudicium theologicum ab ERNESTO de EVSEBIIIS, reg. 15. sect. 6. A. P. W. T. IV. p. 604.

g) Responsum theologicum D. MATTHIAS HOE ad quæstionem: *utrum Lutheranis opitulari possit, ut Calvinistica non minus quam Augustana confessio tolerari & publica securitate frui possit?* A. P. W. T. VI. p. 282.

contra religionis suæ confortes potestatem iustis suis limitibus circumscriptam, eosque ad certas pacis condiciones, adiectas in favorem Lutheranismi, adstrictos voluerunt *b*). Post multas vero de rebus atque verbis altercationes, quas heic recensere nostri non est instituti, in id conventum est, ut reformati ordines in causa religionis ceteris statibus omnino æquiparentur, & tres per imperium valituræ sint iure eodem & publico religiones, ita, ut inter trium harum religionum electores, principes, status omnes & singulos sit æqualitas exacta mutuaque, & quod uni parti iustum est, alteri atque tertix quoque sit iustum *i*).

Per hanc vero iurium communicationem cum reformatis abrogata est ista de duabus tantummodo in Germania recipiendis religionibus pacis constitutio; inde opus esse nova imperii lege, qua omnes, qui nec catholicæ religionis, nec Augustanæ aut reformatæ confessionis essent, publico religionis suæ exercitio prohiberentur, catholici existimaverunt, & eundem in finem protestantibus sequentem I. O. P. inferendam clausulam proposuerunt:

- »cæsareæ maiestatis & catholicorum statuum mentem
- »esse, ut dictæ reformatæ religionis electores, principes, status eorumque subditi pariter beneficio pacis religionis & huius transactionis gaudere debeant, cum &
- »partem transigentium constituent; *quicunque autem nec*

33 Ca-

b) A. P. W. T. I. p. 795. T. II. p. 8.

i) I. P. O. Art. VII. §. I. 2.



„*catholicae religionis, nec Augustanae aut reformatae confessionis*
 „*sunt, in hac transactione & pace religiosa comprehensi non in-*
 „*telligentur.*„ k)

Nec displicere protestantibus haec catholicorum monita,
 unde & in ipso pacis instrumento cum imperatoris atque
 imperii consensu hisce verbis sunt expressa:

„Sed praeter religiones supra nominatas nulla alia in fa-
 „cro imperio Romano recipiatur vel toleretur.„ l)

Tres itaque in imperio Romano-Germanico habemus reli-
 giones, quibus ex publica imperii constitutione ius refor-
 mandi competit; ad quam autem normam, ad quam re-
 gulam exercitium iuris reformandi harum trium religionum
 in I. P. O. fit adstrictum, hoc nunc nobis disquirendum
 venit.

§. 10.

Evangelici in conventu pacis Westphalicae ab initio
 statibus imperii imponi voluerunt obligationem tolerandi
 non solum subditos a religione territorii dissentientes, qui
 anno 1618. liberum religionis exercitium habuerunt, sed
 quoscunque cives bonos, uni ex receptis in imperio reli-
 gionibus addictos, iisque concedendi libertatem conscien-
 tia cum annexis m). Quo magis autem huic petito insti-
 te-

k) A. P. W. T. IV. p. 805.

l) I. P. O. Art. VII. §. 2.

m) A. P. W. T. II. p. 570. *denienigen Landschaften, Städten
 und Unterthanen, welchen das publicum exercitium evangelicae
 doctrinae*

terunt protestantes, eo magis repugnare catholicis; &, quod hi eo melius ab illis sese defenderent, ius reformandi principibus attribuendum in medium protulerunt, sperantes, maius inde, quam ex plenaria subditorum avtonomia in ipsos redundaturum esse emolumentum, quod tum temporis exiguus tantum pontificiorum numerus in terris protestantium, quos hæreticos putabant, commorabatur. Protestantes contra, intelligentes, conscientiae libertatem subditorum evangelicorum sub principibus catholicis degentium per eiusmodi ius reformandi in maximum provehi periculum, illud ordinibus imperii plane abiudicandum censuerunt *n*). Quamvis vero hæc protestantium postulata forsitan fuerint iustissima ac æquitati maxime consentanea, cæsarei tamen atque catholici ne latum quidem unguem a proposito suo recedebant *o*), ius reformandi statibus imperii ad-

doctrinae vermöge der Ferdinandischen Declaration zuständig, oder die es hernach jemals durch Maiestät-Briefe, concessionen, privilegia, pästa oder langen Gebrauch erworben, soll es, ob schon a. 1618. der öffentliche Gottesdienst eingestellet und abgethan gewesen, hinführo in Ewigkeit ungehindert gelassen und ihnen hierinnen in keinerley Wege Eintrag zugezogen, auch allen dem zuwider gemachte Anordnungen, transactiones, reverse und dergleichen cassiret und aufgehoben werden Sc. Sc. & l. c. p. 700. seqq. 751.

n) A. P. W. T. IV. p. 521.

o) A. P. W. T. III. p. 325. *Welchem Vortrag dann des Herrn Grafen von Trautmansdorf Excellenz mit wenigen angehenkt und wiederhohlet, was massen die Kayserliche Maiestät in De-*

adiudicabatur, & A. C. addictis dulcissima spes, omnibus ordinum catholicorum subditis evangelicis tolerantiam & plenariam conscientiae libertatem comparandi, praecidebatur.

Hoc facto in id solum laborarunt protestantes, ut iuri reformandi statuum imperii certi ponerentur limites, quibus ad minimum nonnulli subditorum evangelicorum ab odio religionis atque durissimis, quibus vexati sunt, persecutionibus principum catholicorum defenderentur. Inde statum religionis de ao. 1618. p) ac deinde de 1621. q) ita pro norma atque regula iuris reformandi poni voluerunt, ut, qui hoc tempore exercitium religionis suae vel publicum vel privatum habuerint, illud etiam in posterum habeant. Sed ne hoc quidem a catholicorum pertinacia impetrare potuerunt evangelici. Tandem post multas hinc inde communicatas formulas & copiosas de illis in utramque partem disputationes in id ao. 1647. mense Maio convenerunt summi pacificentes, ut

„non obstante iure reformandi statuum imperii subditi
 „a religione territorii dissentientes, qui sive publicum,
 „sive

ro an se allergnädigst abgangeren Schreiben ernstlich erinnert und befohlen, in vorbemeldten beyden Punkten Exercitii publici Religionis Augustanae Confessionis in den Erbländern et avtonomia subditorum in genere im geringsten nichts nachzugeben — weilen Ihre Kayserl. Maestät beständig resolviret ehender alles über sich ergehen zu lassen. & l. c. p. 404.

p) A. P. W. T. III. p. 164.

q) l. c. p. 336.

„five privatam religionis suæ exercitium ao. 1624. qua-
 „cunque anni parte, five certo pacto aut privilegio, aut
 „longo usu, five sola denique observantia dicti anni ha-
 „buerunt, retineant id etiam in posterum una cum an-
 „nexis, quatenus illa dicto anno habuerunt; r)
 „illis autem subditis, qui neque publicum, neque priva-
 „tum exercitium religionis suæ dicto anno habuerunt,
 „& tamen tempore publicatæ pacificationis Westphalicæ
 „in unius vel alterius religionis statuum immediatorum
 „ditionibus deprehendantur --- terminus non minor
 „quinquennio, illis vero, qui post pacem publicatam
 „religionem mutant, non minor triennio, nisi tempus
 „magis laxum & spatiosum impetrare potuerint, ad emi-
 „grandum præfigatur r).

§. II.

Huius vero regulæ iuris reformandi quædam occur-
 runt exceptiones, quæ nobis binis saltim verbis heic sunt
 annotandæ.

Cautum est in Art. V. I. P. O. §. 27. „quod debitor
 „facta reuotione territorii oppignorati in territorio ad se
 „reverso suæ religionis exercitium libere introducere possit,
 „incolæ tamen & subditi migrare, aut suam, quam sub
 „priori possessore huiusmodi terrarum oppignoratarum am-
 „plexi fuerant, religionem deferere non cogantur, de pu-
 blico

r) A. P. W. T. IV. p. 548. & I. P. O. Art. V. §. 31.

r) l. c. §. 37.

D

„blico vero religionis suæ exercitio inter ipsos & reluen-
tem dominum directum tranfigatur.,

Ad emigrandum itaque eiusmodi subditos cogi non posse & ad minimum privatum religionis suæ exercitium facta reluione ipsis relinquendum esse, extra omne dubium est positum. Vtrum autem subditis super publico religionis suæ exercitio, quod iam ao. 1624. habuerunt, an solum super bonis ecclesiasticis cum domino reluente sit tranfigendum, de eo magna inter iuris publici doctores superest controversia, quam dirimendi meliorem modum non novi, quam si quæ de hac re inter summos pacis Westphalicæ pacificentes sint agitata investigamus, & inde quid ius placuerit, deducimus.

Protestantes primum expetierunt, ut subditorum religionis exercitium per reluionem territorii oppignorati plane non immutaretur, sed facta quoque reluione idem, qui ao. 1624. fuit, maneret religionis status. Catholici contra domino reluenti ius reformandi ita attribuendum censuerunt, ut in territorio ad ipsum reuerso religionis suæ exercitium cum exclusione cuiusvis alterius introducere ei fas esset t). Aliud denique remedium expediens propo-
sue-

t) A P. W. T. IV. p. 50. Confessus II. die Saturni 30. Ian. 1647.
Herr THVMSHIRN: — Nun wolle man zwar iezo darinnen
weichen und die Reluion verstaten: doch daß 1) die Innha-
bere darüber gehöret; und 2) die Leute bey der Religion ge-
lassen werden.

Herr

fuere caesarei, secundum quod subditi, qui ao. 1624. religionis suae exercitium in eiusmodi territorio oppignorato habuerunt, in casu reuolutionis illo quidem nullatenus priverentur, iuxta tamen reuolenti domino potestas, religionis suae exercitium simultaneum introducendi, competeret u). Adprobarunt quidem caesareorum propositionem protestantes, hanc tamen insuper apponi voluerunt determinationem, ut proprietario facta reuolutione religionis suae exercitium *suis solum sumtibus, minime, quae antea subditorum religioni inservierunt, bonis ecclesiasticis adornare liceret x), cum quo consilio vero non consensit catholicorum voluntas.*

Qualis igitur in eiusmodi territorio facta reuolutione sit religionis status, id iam inter summos pacis Westphalicae pacifcentes transcriptum est, retineant scil. subditi idem, quod antea habuerunt, religionis suae exercitium, salvo tamen iure proprietarii religionem suam publice introducen-

Herr Graf TRAVTMANSDORF: das erste könne wohl seyn, das andere aber nicht. Man könne ja den Catholischen das ius territoriale nicht nehmen &c. &c. könnte denen Evangelischen auch wiederfahren und in dergleichen Fällen zu gut kommen.

u) A. P. W. T. IV. p. 164. und möchten in denen Pfandschaften, die ein Reichsland von dem andern hätte, nach der cum causae cognitione erfolgten Einlösung die reuirte Unterthanen das exercitium religionis ao. 1624. zwar behalten, und dabey bleiben, dem Eigenthumsherrn aber dabey ohnverwehrt seyn, seine Religions-Uebung zugleich mit einzuführen.

x) l. c. p. 197.

cendi. Quibus vero sumtibus domini directi religionis exercitium publicum adornetur, de eo inter catholicos atque protestantes non conventum est. Ne autem hæc res plane indeterminata relinqueretur, summi pacifcentes domino reluenti cum subditis de publico religionis exercitio, hoc est, de sumtibus, quibus in introducendo religionis suæ exercitio utatur, transfigendum esse, instrumento pacis inferuerunt y). Et quidem status religionis de ao. 1624. in iis tantum provinciis norma atque regula iuris reformandi censendus, ubi ius territorii certum & extra omne dubium positum est. Territorii vero iure vel ante vel post terminum anni 1624. controverso, donec super possessorio & petitorio cognoscatur & decidatur, etiam possessori præfati anni idem ius est, quantum attinet ad ius reformandi religionem subditorum: ut tamen subditi propter mutatam interim religionem, pendente territorii controversia migrare non cogantur, cum de futuro litis eventu atque vero territorii domino nondum fatis constet z).

§. 12.

Hæc autem, de qua §. 10. actum est, iuris reformandi restrictio, potissimum respicit catholicos atque protestantes inter se. Quod enim attinet ad Augustanæ Confess. addictos a), quatenus duas partes constituunt, ho-

y) Conf. Autor meditat. ad I. P. Art. V. §. 27. p. 434.

z) I. P. O. Art. V. §. 43.

a) Ne, dum reformatos A. C. addictos dicimus, contra ipsam a nobis conscriptam dissertationem de nomine A. C. addictorum se-

horum rationes non adeo angustos iuris reformandi requirant limites. Inde eorum intuitu alia plane atque mitior paulisper ex principiis utriusque religioni communibus evasit provisio, qua ius reformandi protestantium inter se hoc modo determinatum est, I) ut, *ubi alterutrius partis sacra tempore pacis Westphalica vigerint, ibi vigeant & impostum b).* In iis igitur locis, in quibus tempore pacis conditæ reformati religionis suæ exercitium non habuerunt, illud iure publico atque perfecto sibi vindicare nequeunt; quamvis quam maxime esset optandum, ut protestantes, qui in causa communi contra pontificios defendenda armaviresque iunxerunt, omni religionis odio exuto tanquam fratres potius se invicem habere possent, atque rigido hoc iure inter se minime uterentur. Deinde II) ius reformandi protestantium inter se ita explicandum venit, *ut salva semper maneat horum statuum inter se cum subditis suis conventa pacta, privilegia, reversalia & aliæ dispositiones, quibus de religione eiusque exercitio & inde dependentibus cuiusque loci statibus & sub-*

secundum Art. VII. I. P. O. Lutheranis proprio, errorem committere videamur, heic annotare liceat, reformatos quidem non per I. P. O. sed tamen postea per conclusum corporis evangelicorum d. d. 28. Febr. 1722. huius nominis participes reditos esse. Vid. SCHAVROTH conclusa corp. evang. T. II. p. 493. vielweniger wollen beyde Theile sich unter einander feindlicher Nahmen gebrauchen; sondern sich Evangelische oder der augspurgischen Confession verwandt nennen.

b) I. P. O. Art. VII. §. I.

D 3



subditis provisum est c); quod secus se habet inter catholicos atque protestantes, quippe quorum tanquam unice ad observantiam anni 1624. adstrictorum pacta ante conditam pacem Westphalicam cum subditis inita eatenus solum firma atque valida sunt, quatenus praxis dicti anni iis non adverstatur d).

SECT. IV.

DE

IVRIS REFORMANDI STATVVM IMPERII EFFECTIBVS, QVOS ADHVC RELIQVOS FECERE IN I. P. O. OBVENIENTES EIVS RESTRICTIONES.

§. 13.

Si quis miratus fuerit hæc omnia tam operose hucusque fuisse asserta, mirari forsan desinet, siquidem animadvertit hæc eo fine a nobis facta esse, ut eo melius atque accuratius qui adhuc supersunt iuris reformandi statuum imperii effectus, monstrari atque deduci possint. Neque enim est, quod quis arbitretur, positis his limitibus vix ullum huius iuris effectum fore in imperio. Hoc quidem negare nollem, probe cavendum esse, ne falsi iuris reformandi effectus pro veris, ne in I. P. O. abrogati pro adhuc

c) I. P. W. Art. VII. §. 1.

d) I. P. O. Art. V. §. 33.

huc validis apprehendantur; inde vero nondum concludere fas est, vix dari casum, ut ius reformandi actu exerceri possit e). Quibusnam autem in casibus hodiernum ius reformandi ad effectum deduci possit, apparebit, dum huius potestatis definitionem ad limites in sectione priori a nobis indicatos tanquam ad amissim æquiparamus, & inde, quid adhuc reliquum relinquunt hæ in pace Westph. obvenientes restrictiones, ostendimus.

Ius reformandi ordinum imperii versatur I) circa novam in territorio introducendam religionem. Hæc autem potestas per constitutionem I. P. O. valde angustos accepit limites, & quam maxime principibus nostris est attendendum, ne, dum aliquid circa religionem innovare volunt, statum religionis anni 1624. tanquam palladium subditorum a principis religione dissentientium violent. Quantas iam turbas atque discordias a tempore pacis Westphalicæ ad nostram usque ætatem excitaverit religionis exercitium quod vocant simultaneum, neminem præterit, qui rerum est gnarus. Nihil inde magis optandum, quam ut istius loci Art. V. I. P. O. quem hæctenus & catholici in commodum suum retorquere studuerunt, interpretatio prodiret authentica, quo, quid circa novam religionem iuxta veterem in territorio introducendam iustum sit, quid non, eo certius constaret, licet reapse haud necessaria. Cum autem hoc potius pium tantum sit desiderium quam spes ex præsentis status ratione capienda, pauca tantum de simultaneo, ne centies dicta repetamus, annotare mens est.

Sum-

e) Quod asserere conatus est B. Dn. LINCKER conf. 58. nr. 13.

Summi pacis Westphalicæ pacifcentes per totum pacis instrumentum satis clare atque distincte mihi declarasse videntur, ipsos nihil magis in votis habere, quam ut tantæ protestantium quam catholicorum religioni atque conscientiæ libertati ita prospiceretur, ut nihil a iuris reformandi abusibus iis metuendum esset; id quod satis superque testantur verba Art. V. §. 31. *Hoc non obstante &c.* Extra omne igitur dubium positum est, instrumenti pacis Westphalicæ loca in tantum, quantum fieri potest, ita esse explicanda, ut eorum decisionibus omnes controversiæ, turbæ & unius vel alterius religionis oppressiones præcaveantur atque e medio tollantur. Nihil inde magis sanæ rationis principiis, nihil magis pacifcentium fini repugnat, quam, si, causa quoque dubia visa, talis pacifcentium mens fuisse dicatur, unde lites, turbæ, persecutiones cum unius vel alterius religionis damno coniunctæ in perpetuum sunt orituræ. Nulla autem re subditæ magis in quieta possessione religionis suæ exercitii turbantur, quam simultaneo religionis publico exercitio catholicis adeo adamato *f)*, quippe quod sinistro religio-

f) Quantopere faveant simultaneo catholici, satis superque loquitur rescriptum *Wolfgangi Electoris Moguntini* d. 4. Aug. 1595.
 „*Die weil ihr dam bekanntlich seyn sollet, daß Wir nicht allein Kraft mehr angezogenes Religionsfriedens Unsere des Orts ingemein hergebrachte katholische Religion zu erhalten, befugt, besondern da sie gleich bishero dafelbit nicht gewesen, doch in Kraft Unserer landesfürstlichen Obrigkeit noch anzustellen*“

gionis zelo laboranti valde opportunam præbet ansam crudelissimas oppressiones & persecutiones exercendi, atque omnem tandem conscientiae libertatem evertendi. Hæc non ex cœco religionis odio esse excogitata, sed cum rei veritate convenire fatis docet ipsa experientia. Catholici enim, simultaneo religionis suæ publico exercitio ipsis hinc inde concessio, non solum in viis publicis imagines sanctorum erexerunt, processiones formarunt, venerabile quod vocant circumtulerunt, sed & ubi viribus polluerunt, ut coram illo in genua se exciperent, omnibus imperarunt, dies festos, quos cultus sanctis suis debitus ipsis exposcit, evangelicis quoque celebrandos imposuerunt; immo semel plus principem ipsorum religioni addictum in partes suas adsciverunt, qui postea gloriæ divinæ promovendæ incensus cupiditate, omnes a clero atque populo evangelicis illatas iniurias vel leviter tantum reprehendit, vel plane inultas reliquit, ipsos protestantes sæpius auctores rixæ declaravit, atque durissimas inde iis infligit pœnas g). An vero fummos paciscentes existimaveris sui adeo

„len allerdings berechtiget seyn, und in dem anders nichts vornehmen, als was alle Churfürsten und Stände des Reichs in ihren Obrigkeiten und Gebieten billig und gut heissen.“, vid. de SELCHOW elementa iuris publ. germanici p. 441.

g) Horum factorum exempla exhibet Palatinatus, Wornatia, Hildesense territorium &c. vid. *Fabers Staatskanzley*. T. IV p. 91. T. V. p. 78. seqq. T. VI. p. 1. seqq. & *Information von der Bewandniß der uezigen Hildesheimischen Sachen*. ad. 1711.

E

adeo inconstantes, ut media ipsorum fini non solum non inservientia, sed illi plane contraria instrumento pacis inferuerint? Num eos transeundo quasi atque tacendo omnibus imperii statibus dedisse credideris, quod ne per exceptionem quidem electori Colonienfi intuitu territorii Hildesienfis concedere voluerunt *b*).

Omnino igitur omne simultaneum religionis publicum exercitium, quo status religionis, qui fuit ao. 1624. quacunq; anni parte sive directe sive per indirectum turbatur, cum B. BOEHMERO *i*) illicitum atque per I. P. O. interdictum dicimus; cui sententiæ quoque addictum fuisse Maximilianum Henricum electorem Coloniensem, magisque apud eum valuisse ipsius rei veritatem ac finistrum religionem suam propagandi zelum, testantur eius literæ ad capitulum Hildesiense ao. 1681. die 28. Octobr. datæ *k*).

§. 14.

b) vid. A. P. W. T. V. p. 514. 533.

i) In iure ecclesiastico protestantium. L. I. T. I. §. 62.

k) *Dasß man aniezo hin und wieder auf dem Land, ia in allen Städten, Fleken und Dörffern unsers Stiffts Hildesheim catholische Kirchen und Capellen erbauen und das exercitium religionis nostræ aus Landesfürstlicher Obrigkeitlicher Macht einführen solle, kommt uns bey iezigen coniuncturen fast bedüncklich vor, zumahlen es, waun solches dem Braunschweigischen Haupt-Receß gemäß ware, schon längst geschehen seyn würde; und deswegen wir, da man dem zuwider dergleichen nunmehr attentiven sollte, daraus grosse zu unserer disreputation, und des Stiffts Schaden gereichende Ungelegenheiten etwan entstehen dörrften. Es sey dann, daß unsere uncatholische Land-*
Sten-

§. 14.

Annon autem princeps eiusmodi simultaneum, quo subditi & landfaffii in quieto & libero religionis suæ exercitio, quod ao. 1624. habuerunt, relinquuntur, introduce- re possit? hæc quæstio B. BOEHMERO paulo altioris vide- tur esse indaginis. Sed ex te quærere lubet, quale fit il- lud simultaneum, quo status religionis de ao. 1624. plane non violetur? Respondet quidem autor iuris eccles. prot. absque omni religionis, quæ ao. 1624. ibidem vigit, tur- batione

- I. a principe protestante ut &
- II. a principe catholico territorii evangelici simultaneum religionis catholicæ *privatum* exercitium;
- III. a principe catholico vero atque
- IV. a principe evangelico catholici territorii simultaneum evangelicæ religionis *publicum* exercitium

invehi posse ¹⁾, cuius autem sententiæ subscribere non pos- sum. Potius catholicorum religionem sua natura omnis si- multanei impatientem esse existimo. Quodsi enim iis con- cedas in eodem vel templo, vel loco, vel territorio, ubi antea non nisi evangelica floruit religio, privatum tantum religionis suæ exercitium, hoc eorum religionem suam

Stände von selbstn darzu geneigt, und solches Belieben thæten.
vid. facti species der Hildesheimischen Streitigkeiten. p. 147. &
ZECH I. c. p. 281.

¹⁾ L. I. T. I. §. 73. & 74.



propagandi cupiditati nunquam satis est, quoscumque alios, maxime si cleri dicto fuerint audientes, ad suas fidei doctrinas pertrahere student, omnesque hæreseos arguunt, qui ab ipsis diversam profitentur religionem. Hinc alia ex aliis suspiciones, inimicitia, infidia, quæ deinde in turbas, oppressiones atque persecutiones excrescunt.

Præterea summi paciscentes in ipso I. P. O. adeo distincte contra omne simultaneum sese declararunt, ut accuratius atque distinctius vix fieri potuisset. Cum enim ex constitutione pacis Westphalicæ vasalli atque subditi statuum catholicorum publicum & privatum religionis Augustanæ C. exercitium, quod ao. 1624. quacunq; anni parte habuerunt, retineant in posterum cum annexis, quatenus illa dicto anno exercuere *m*), atque idem religionis exercitium manere debeat, quod quovis in loco anno 1624. usitatum fuit *n*), status catholici certe pacem Westph. perfringunt, si invitis subditis in iis locis religionis suæ exercitium introducunt, ubi anno 1624. non nisi evangelica floruit religio; sola enim evangelica religio cum ao. 1624. vigerit in hoc territorio, sola etiam ut in posterum vigeat necesse est. Aut statum religionis in territorio, in quo ao. 1624. Evangelica sola fuit religio, eundem manere putas, quamvis postea catholicis religionis suæ exercitium in illo concedatur?

Cur denique queso catholici tantis precibus efflagitarunt protestantes, donec obtinuerunt, ut domino pignus

m) Art. V. §. 3.

n) Art. I. §. 26.

re-

relienti ius religionis suæ exercitium introducendi, siquidem ibi religio a sua diversa vigeat, relinqueretur, si idem iam omnibus imperii ordinibus vi iuris reformandi ipsis competentis liceret? (Sect. III. p. 17.) Sed hæc pacis Westph. dispositio exceptionem potius a regula, quam ipsam regulam constituit, atque non nisi proprietario facta reuisione territorii, quod ao. 1624. oppignoratum fuit, religionem suam ibi invitis quoque subditis introducere integrum est o).

§. 15.

- o) Singularem quandam circumstantiam in historia pacis Westphalicæ deprehendere credit B. DE ZECH, in meditt. de iure reformandi p. 274. qua quaestioni: an principi simultaneum introducere liceat? magnam affundi lucem ipsi videtur. *Volebant scil. inquit, Sueci ius reformandi statuum imperii minus limitatum, hinc in instrumento pacis suo die 14. Apr. 1647. Osnabrugæ exhibito Art. XVI. §. 12. hæc inseruerant: Quo minus autem tam catholici quam Evangelici magistratus ecclesiastici æque ac politici suis subditis tam evangelicæ quam catholicæ religionis exercitium pro arbitrio concedere possint, nullis legibus aut iuramentis prohibeantur.* Animadvertimus, pergit B. DE ZECH, ex hoc loco, de simultaneo sive iure simultaneum introducendi inter tractatus pacis omnino cogitatum fuisse; cum vero plurima ex Suecico hoc instrumento a summis Paciscentibus approbata ultimoque pacis instrumento communibus suffragiis inserta fuerint, cur de hoc nulla mentio facta? Hoc quidem non negandum, si res ita se haberet, magnum omnino sententiæ protestantium omne simultaneum improbandum adderetur pondus; sed dicendum nobis, uti res est. Legi atque perlegi hocce Suecicum instrumentum

Quod autem attinet ad protestantes inter se, horum intuitu quidem annus decretorius regulam non constituit, cunctaque inter ipsos ante conditam pacem Westphalicam conventa pacta in ipso pacis instrumento sunt confirmata, omnes vero post pacem Westphalicam circa religionem suscipiendæ novationes sunt prohibitæ; unde patet, non minus improbasse summos pacifcentes simultaneum, quo Lutherani atque Reformati, quam quo protestantes atque catholici in unam eandemque societatem cogerebantur.

Protestantes autem principes, si a Lutherana ad reformatam religionem vel vice versa transierint, concionatores aulicos secum atque in residentia habere posse extra omnem dubii aleam positum est p). Alia tamen atque ab antecedenti plane diversa quæstio est, num principi protestanti ad reformatorum sacra transeunti templum aulicum habere liceat? Cum enim hodie templa aulica sacra

pacis in MEIERI A. P. W. T. V. p. 457 -- 468. nusquam autem eiusmodi propositionem inveni; potius ipse MEIERVS l. c. sequentem notam addidit: *Es ist zwar in verschiedenen Büchern ein Proiect unter der Rubric, Instrumentum pacis Suecicum Osna-brugæ Anno 1647. exhibitum, gedruckt zu finden, welches aber mit dem gegenwärtigen gar nicht übereinstimmt. Dieses ist hingegen von einer in der Schwedischen Canzley zu Osna-bruck ehem revidirten authentischen Copey, mit welcher auch die damalige im Druk publicirte deutsche Uebersetzung genau zutrifft, genommen.*

p) Art. VII. §. 1. De SCHAVROTH conclusa corp. ev. T. III. p. 614.

ordinaria & publica, certum populum, & ordinarios presbyteros habeant, multo difficilius a parochialibus fecernuntur; &, quod in plerisque cum hisce conveniunt, ex horum quoque iure ea æstimanda esse puto. Quodsi itaque templum aulicum tempore pacis Westph. tanquam parochiale subditorum A. C. addictorum usibus infervierit, idem illius in posterum maneat status, quamvis postea princeps sacra reformatorem amplexus fuerit *q*).

§. 16.

Quid autem dicendum de pactis principum imperii cum subditis post pacem Westphalicam initis, quibus status anni normalis ita mutatur, ut vel simultaneum instituitur, vel aliud plane quam quod 1624. fuit religionis exercitium, invehatur, atque quæ hactenus in territorio obtinuit religio, penitus extirpetur? Quod ad primam huius quæstionis partem attinet, an scilicet principi cum libero subditorum consensu simultaneum religionis suæ exercitium adornare liceat, neminem quidem præterit, statum anni 1624. in favorem subditorum esse introductum, ac tandiu saltem iuris reformandi regulam constituere, donec de religione christiana vel universaliter, *vel inter status immediatos eorumque subditos mutuo consensu aliter erit conventum r*). Nihil inde obstat, quo minus status provinciales atque subditos huic iuri in ipsorum favorem introducto renunciare posse dicamus.

Num

q) BOEHMER I. C. L. III. Tit. 37. §. 63. seqq.

r) I. P. O. Art. V. §. 31.

Num autem principi cum consensu subditorum alius atque diversæ ab ea, quæ hæctenus ibi obtinuit, religionis exclusivum exercitium introducere integrum sit, paulo altioris est indaginis. Non solum enim religioni, quæ anno 1624. in territorio quodam floruit, ex anno normali ius in perpetuum ibi manendi, ipsi non nisi cum imperatoris atque totius imperii consensu adimendum, quaesitum videtur; sed & omnium reliquorum religionis consortium interest, ne quid contra statum anni 1624. innovetur, utpote ad quem conservandum omnes P. W. confortes sunt obstricti s).

Cum vero hoc non obstante quilibet civis imperii Romano-Germanici conscientia libertate gaudeat, illam potius universum territorium habere necesse est; & quamvis quam maxime intersit statuum atque reliquorum P. W. consortium, ut status anni decretorii conservetur, hoc tamen de eo tantum casu intelligendum est, ubi aliquid contra leges imperii fundamentales atque ipsum I. P. O. innovatur, quod autem haud fieri credo, si cum consensu statuum provincialium diversa quidem ab ea, quæ hæctenus obtinuit, in Germania tamen recepta, introduceretur religio. Apparet inde, statibus imperii adhuc esse potestatem, novam in territorio introducendi religionem, modo id cum vero pleno & libero consensu subditorum fiat; & principibus protestantibus idem adhuc cum omnibus fere suis effectibus competere ius reformandi, quo in ipso reformationis negotio

s) Art XVII. §. 5.

usi sunt, & quod in conventu pacis W. iis adhuc valde ad-
amatum fuisse docet pacificationis historia *t*).

§. 17.

Latus quoque ordinibus imperii patet campus exer-
cendi ius reformandi

II. circa exclusionem vel tolerantiam aliarum religionum
cum religione territorii non conformium. Quo autem eo
meliori ordine heic procedamus, primum nobis de religio-
nibus iure publico Imperii Romano-Germanici heterodoxis
est disputandum.

Primo quidem intuitu §. 2. Art. VII. I. P. O. cuius vi
non nisi tres in imperio tolerentur religiones, statibus im-
perii omne arbitrium circa religiones in Germania non re-
ceptas adimere, iisque necessitatem illas territoriiis suis ex-
pellendi imponere videtur. Cum vero in ipso pacis instru-
mento cuiusque conscientiae libertas sit stabilita atque prin-
cipibus quam maxime demandata *u*), ea, quae de tole-
rantia trium in Germania receptorum religionum sunt disposi-
ta,

t) RUFENDORF l. c. L. XVIII. §. 60. Evangelici — æquum cen-
sebant, si Catholicus Præsul consensu universi Capituli, aut ma-
ioris partis Evangelica placita profiteatur, iure superioritatis
reformationem suscipi posse, adhibito simul Ordinum provincia-
lium consensu, sicubi & isti in partem eius iuris veniant. Sed
si Præsul solus, aut cum minore Capitularium parte ad Evange-
licorum ritus transeat, ius reformandi ipsi haud competere &c.

u) Art. VII. §. 1.



ta, ita explicanda esse credo, ut exercitium, publicum praesertim, alienis religionibus quidem concedi non possit, statibus tamen imperii nihilominus integrum sit homines eiusmodi religionibus addictos in territoriis suis tolerare, iis conscientiae libertatem relinquere, atque devotionem quandam domesticam concedere, si modo quiete vivant, subditi fideles fuerint atque turbas non excitent. Nec praxis imperii huic sententiae nostrae adversatur; sunt enim, uti iam Auctor meditt. ad I. P. x) annotavit, quibusdam in locis haud pauci Mennistae, Anabaptistae, Sociniani & alii ex sectis huius farinae, quos privatim suae devotioni vacantes inter nos versari patimur, quamdiu tranquille vivunt. Certum itaque est, principes atque status haud prohiberi, quo minus subditos religionem in Germania non receptam professantes tam expellere, quam privatim tolerare possint y).

§. 18.

Reliquum adhuc est, ut videamus, quid statibus imperii in subditos a sua religione dissentientes, sed uni tamen ex tribus in Germania receptis religionibus addictos, qui nullum ao. 1624. habuere vel publicum vel privatum religionis exercitium, liceat, & quinam horum intuitu iuris eorum reformandi supersint effectus? Id quidem certum atque extra omne dubium est positum, eos subditos, qui ao. 1624. religionis suae exercitium vel publicum vel privatum habuerunt, illo nunquam privari posse atque eorum in-

x) ad Art. VII. §. 2. p. 866.

y) conf. BOEHMERI IUS ECCLES. PROT. L. I. Tit. I. §. 58.

intuitu ius reformandi statuum plane cessare 2). Ratione autem eorum subditorum, quorum religioni ex anno normali nihil iuris in territorio quaesitum, longe aliter se res habet. Quamvis enim evangelici in conventu pacificationis Westphalicae pro tolerantia subditorum a principis religione dissentientium, uti iam supra Sect. III. p. 17. enarratum est, maximo cum disputationis apparatu & tanquam pro ara & focis certarint; nihilominus tamen nobis dicendum, imperantes hodie nec I. P. O. nec alia lege publica impediri, quo minus adversus eos, qui publicum vel privatum religionis exercitium ao. 1624. non habuerunt, vel qui hodie adhuc religionem mutant, iure suo reformandi uti possint. Potius in ipsa Pace Westphalica Art. V. §. 36. de eo, qui vel sua sponte emigrare voluerit, aut a territorii domino iussus fuerit, & §. 37. de coacte emigrantibus sermo est.

Denique exinde, quod §. 43. Art. V. subditi, territorii iure vel post terminum anni 1624. controverso, propter mutatam interim religionem pendente controversia migrare cogi non posse dicuntur, satis superque elucet, status nosros ad tolerandos hosce subditos non adstringi; quod enim singulari constitutione hic prospicitur subditis, sponte sua fuit, reliquorum imperantium arbitrio relictum esse, num hisce subditis emigrationem imperare velint, nec ne, modo iis spatium magis angustum quam Art. V. §. 37. praescriptum est, non praesigatur, testimonia nativitatis, ingenuitatis, manumissionis, noti officii, honestae vitae non denegentur, &

F 2

2) I. P. O. Art. V. §. 31.

& modo iis integrum fit, aut alienatis aut retentis bonis discedere.

Obstare autem videtur huic, de subditis a principis religione dissentientibus, qui ao. 1624. nullum religionis exercitium habuerunt, sententiæ nostræ §. 34. Art. V. qua constituitur, ut subditi, qui ao. 1624. nullum exercitium religionis habuere, nec non qui post pacem publicatam deinceps futuro tempore diversam a territorii domino religionem profitebuntur & amplectentur, patienter tolerentur & conscientia libera domi devotioni suæ, sine inquisitione aut turbatione, privatim vacare, in vicinia vero, ubi & quoties voluerint, publico religionis exercitio interesse, vel liberos suos exteris suæ religionis scholis aut privatis domi præceptoribus instruendos committere non prohibeantur. At a) distinguendum ego censeo, quod consilii, ab eo, quod iuris est; b) deinde stricte inhærendum est instrumento pacis Westphalicæ, quod, uti iam comprobavimus, statibus nostris hinc inde expressis verbis potestatem eiusmodi subditis emigrationem imperandi reliquit, non tamen transplantandis.

§. 19.

Habes heic, candide lector, effectus iuris reformandi Art. V. §. 30. statibus imperii graphice attributi, quos reliquos fecerunt in pace Westphalica hinc inde obvenientes illius restrictiones atque exceptiones. Omnia, quæ in hac ardua materia dixi, ne conclusum trium collegiorum de


de ao. 1649. d. 13. Jun. a) violarem, quantum quidem fieri potuit, verbis atque argumentis ex actis publicis confirmare studui. Si autem me invito aliquid legibus publicis non consentaneum aut aduersum irreperit, errores enim erunt, dum homines erunt, id nec dictum volo.

a) Nachdem aber dabey zu besorgen, daß in ipsa interpretatione des Westphälischen Friedens zweifelhafte Deutungen vorfallen möchten; als ist die gesamte Resolution, daß man in dergleichen Fällen ad protocolla & acta recurriren, den verum sensum aus solchen erheben und wie es damahls gemeint gewesen, recht erforschen solle.



NOBL.




 NOBILISSIMO ATQVE DOCTISSIMO
 AVCTORI
 PRÆSES.

Possem quidem TE facile sine epistola, at non æque sine seria eorum profectuum gratulatione dimittere, quos in Ienensi & Gættin-
 genfi, nostraque schola in utroque iure fecisti, egregiorum. Testantur illos
 & hæc præsens, quæ tota TVA est & quam ex ipsis solisque fontibus magis, quam aliorum libris scripsisti, & ea quoque, quam superiori anno de nomine A. C. addictorum rel. præside Cel. 10.
 AVG. REICHARD, Ienæ edidisti, dissertatio. Forsan utriusque clarior
 olim accendent lucem, ipsamque P. W. uberius illustrabunt, litteræ
 illæ plusquam CCC. OXENSTIERNIANÆ, e Germania in Sueciam,
 ad fratrem, ipsius reginæ CHRISTINÆ curatorem, durante congressu
 scriptæ, familiares quidem, at eo ipso & sinceriores sine dubio &
 notabiliores, quarum editionem ab incluto illo regni Suecici senatore,
 comite CAROLO SCHEFFERO præstolamur. Nondum enim, quæ
 ad illius emucleationem pertinent & necessaria sunt, subsidia, adhuc
 in promptu habemus, omnia. Quæ vero iam habemus, sat multa, ea
 omnino sufficiunt, præcepta eius æquo animo trutinantibus, licet diversi
 omnino sint stili & saporis. Quedam ego quidem forsitan paullo
 aliter hic scripsissem, at volui TIBI laborem TVVM academicum,
 prorsus intactum relinquere, masculine eum, quod auguror, a
 defensuro. Perge in hoc studiorum TVORVM tramite, laudatissimo
 sane, & prospera semper utere fortuna, quam TIBI, TVISQUE
 animitus adprecor. Ita vero mihi salve & vale. Dabam Tub.
 Dom. Latere MDCCCLXXIII.

ULB Halle
005 362 318


3



VD16







B.I.G.

Farbkarte #13

C.S. num. 5.

DE
RE
MANDI
X
PACIS WESTPH.
QVO

1773/4

MARDINO CAROLINÆ
NIFICENTISSIMO
T POTENTISSIMO
EMBERGICO
OLO

11

ORDINIS CONSENSV
SIDE
AN. HOFFMANN

TRIVSQVE DOCTORE, SACRI
SERENISSIMI WVRTEMBERGIAE
IS PVBLICI ET FEVDALIS
INARIO, SVPREMI DICASTERII
VSTRIS ASSESSORE

I. V. DOCTORIS

TII MDCCLXXIII

VTABIT

CTOR

RGIVS KERNER

OPOLITANVS

XPIS FVESIANIS.

